

Amicorum omnia esse communia. Sed ut amicitiae nexus non tam utilitatum gratia quam animorum coniunctione constat, sic ea rerum omnium communitas non externis sed ueris illis ingeniorum atque animi bonis metienda est; tum uero si omnium societatum uix ulla firmior quam eorum, qui et similium studiorum sacris et sanguinis aut adfinitatis iure coniuncti sunt, non uolui, nec si uoluisssem potui, nec si potuisssem debui sublimem istam tamque latissime patentem nominis tui celebritatem non obuiis quod aiunt ulnis suscipere. Nam si gaudere soleo, ubi, quod mihi deest, amicis etiam uulgaribus uideo superesse; quem fuisse atque etiamnum esse par est aurium oculorumque meorum sensum, cum sentio adfinem esse me ei uiro, qui cum summa iuris prudentia summam adiunxerit eloquentiam, adeo ut quod de Ser. Sulpicio¹ accepimus id tuo de te merito dici oporteat: ‚Eloquentium est iureconsultissimus, iureconsultorum eloquentissimus‘ — uerum hic memet retineo equidem et satis intellexi impatientem esse te laudum tuarum auditorem. Nam et hac esse modestia solent, qui sunt laude maxima dignissimi, nec meis aut aliorum calculis uiritim corrogatis eges, cui pridem theatrum plaudit uniuersum. Mihi tamen imperare nequii, quin effusioe gaudio ac laetitia gestiens propemodum exilierim, cum nuper aliquot tibi deuinctissimi magno silentio libentesque referentem audiremus, quanta cum gloria idibus Novembribus² prox. superioribus in frequentissima amplissimi ordinis totiusque populi corona de rebus grauissimis horis tribus continuis copiosissime sapientissimeque dixisti atque ita dixisti, ut uno omnium ore uel eorum etiam, quibus dicam impegeras grandem in coelum usque laudibus ac uotis tollerere. Nec dubito quin si suus, ut olim, esset uirtuti honos, tibi isthic ex S. C. ob rem in ciuili militia praeclare gestam statua dicata esset. Adderem et alia quaedam ex uero, nisi religio esset, committere ut quisquam credatur laudibus oneratus. In praesentia mearum partium esse putauim, te isti Mineruae,³ quo fungeris et illud tibi gratulari. Comperio enim non modo uerum esse quod paroemia dicitur, ‚magistratus uirum indicat‘ quin et

¹ Ueber Ser. Sulpicius cf. Cicero Brut. 41, 42 u. s. w.

² Die Hs. Nouembris.

³ So die Hs. sicher mit Unrecht, es wird entweder mueri oder ministerio zu lesen sein.